



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu  
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas  
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.  
tribunali animam Deum verè quærerentem paternè ...**

**Eisvogel, Veremund**

**Augustae Vindelic., 1727**

XIII. Ad famulos fideles.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

eos reverentiâ, cui & subjungamus *Novem Ave*  
in honorem S. Matris Annæ, Jesu Christi Aviæ  
nobilissimæ. Anna sit Parentum Custos, &  
Regula.

## III.

**F**ilius, qui vivere desiderat genuinus, ambulet in timore sancto *erga Deum*: In submissione, & modestia pro conservatione *parentum*: in continua circumspetione, & cautela *erga seipsum*. Si hoc: liber erit à Diabolo: liber ab omni corporis, & animæ incommodo.

*Instructio meritoria.*

Parentes & Tutores habemus in SS. Angelis custodibus. Sunt semper à latere nobis; ne verò sine gratitudine nostra, semel per hebdomadem aut *Lytanias*, aut *officium minus*, aut *clientalem contestationem erga ipsos die Martis instituamus*. Hæc exigit lex amoris. Ne illud audiendum: *Clients enutrivi, & exaltavi; ipsi autem spreverunt me.*

## EXHORTATIUNCULA XIII.

## Pro Famulis erga Dominos fidelissimis.

## I.

**H**omo natus est ad laborem, sicut avis ad volatum. Dilecte! in aliqua vel corporis vel animi exercitatione inveniamur semper. Quæ causa? Audiamus ex D. Hier. Facito semper aliquid, ut inveniat te Diabolus occupatum. Ubi otium, ibi pietatis, ac vitæ sanctioris nausea,

Ii 2

&amp;

& tedium. Nobilis est servitus, non despotica,  
cui imperat Christiana virtus.

*Instructio meritoria.*

Sit providus in famulatu suo ! Nulla hora  
sine linea , sine operatione ! Ordinare oportet  
diem : Decet & opus in opus, horam in horam  
distribuere ; secus flebilis timenda temporum,  
& operum confusio. Ad sonitum horologii  
paululum nos recolligamus , & unum Ave cum  
Psalmo de profundis &c. oremus. Plorant,  
clamat è flammis animæ : & vix audiuntur ?  
O duros mortales !

II.

**S**ervi non sunt, qui Deo , & virtuti serviunt.  
Fili ! ah ! fuge peccatum. Hoc solum te  
constituit diaboli , & carnis mancipium. Glo-  
riosa est Christianorum servitus, si portetur cum  
libertate , & gaudiō Spiritūs. Qui libertatem  
spiritūs perdidit , amisit omnia , amisit Deum,  
gratiam, & gloriam. Et hæc perditio ad quid ?

*Instructio meritoria.*

Servus non est sine periculo. Ut à lapsu præ-  
servetur , quotidie sanctos quatuordecim Auxi-  
liatores veneretur , quatuordecim Ave recitan-  
dō , & eorum S. Imaginem in suo cubili affigen-  
dō , affixāmque sæpius exosculandō . Tot pro  
uno quid non poterunt coram Deo, ut servent  
ab omni malo ?

III.

**B**One ! serviamus homini sicuti Christo , &  
non erit durum , aut difficile , in humano  
ser-



servitio vivere. Ecce ! quid S. Paulus ad suos Ephesios : Servi! obedite Dominis carnalibus cum timore, & tremore, in simplicitate cordis vestri sicut Christo : Non ad oculum servientes quasi hominibus placentes , sed ut servi Christi, facientes voluntatem Dei ex animo. Bis dat, qui hilariter ministrat.

*Instructio meritoria.*

A manè SS. Trinitati opera , & labores totius diei offeramus flexis genibüs dicendō duodecim Pater , & Ave cum versiculo : *Deus in adjutorium meum intende.*

EXHORTATIUNCULA XIV.

Pro Conjugibus piè, & christianè viventibus.

I.

**A**udiat, quid vobis Spiritus sanctus ex ore Ecclesiastici : In tribus placitum est spiritui meo, quae sunt probata coram Deo, & hominibus : *Concordia fratrum ; amor proximorum ; & vir ac mulier benè sibi consentientes.* Pacem habete, & Deus pacis atque dilectionis erit vobiscum. Nil jucundius, nil beatius , quam habitare in unum , in unum cor ! *in animam unam!* Multa quidem corpora: sed non multa corda, ait S. Aug. Vos saltem vestra conservate unitissima.

*Instructio meritoria.*

Ad exemplum S. Monicæ , si quid contentio-  
nis, aut iurgii in domo insurgeret, taceamus, &